Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35497
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

gloria nisi xpus. Et quis hominum dabit intelligere homini, quis angelus angelo, quis angelus homini. A te domine mente petatur, a te queratur, ad te pulsetur, sic accipietur, sic invenietur, sic aperietur, te prestante qui vivis et regnas deus etc.

Explicit 3a pars orationis et incipiunt capitula 4te partis.

Quid est incendium, et que tria accidunt incendio, de quibus laus est prima particula, et de septemplici laudis materia.

Particula 2a que accidit incendio est iubilus, et quo perfectus ex dei gratia potest quis iubilare deo.

Particula 3a que accidit incendio est liquefactio, et quo perfectus quisque liquefieri potest in amore dei:

Quid est incendium, et que tria accidunt incendio, de quibus laus est prima particula, et de septemplici divine laudis materia.

Incendium quid est. Per orationes que igniunt mentem quodam igniculo caritatis increato et componunt corde noti ad capiendum calorem superfervidum divini amoris. In incendio quot accidunt, tria que. Laus, iubilus et liquefactio. Laus dei dignissimus est effectus, et nascitur ex consideratione divine bonitatis, et ex admiratione profunditatis et sapientie dei, et ex stupore altitudinis divine potentie, et immense maiestatis, que de ipso vel per doctrinam fidei intelligimus, vel per operum eius vestigia colligimus, vel per illuminationem inspirationis interne, et per amoris incendium puro mentis intuitu orationis devotionem mediante contemplamur, prima que de deo cogitari vel dici potest veritate pura vel sentiri, non nisi laus ipsius est, eo quod nichil in deo sit nisi summe laudabile, amabile et admirabile et venerandum. Et quanto perfectius cognoscitur tanto verius laudatur et ardentius amatur. Divinis laudibus insistere debent servi dei, precipue religiosi tam diurnis quam nocturnis horis, non sola voce sed intentione pura deum laudent. No.